









1736.

1. Bartsch, Henr. Christoph: De eo, quid circa acqui-  
sitionem iniquam est.
2. Clemens, Robertus Balchas.: De aetate et insignio-  
ribus episcopi in civili et ecclesiastico, iure effectibus
3. Fick, Johannes Ericus: Praxis Jurisprudentiae  
Hypothecariae seu de applicatione juris ad factam.  
4a: Henricus Rudolphus Christoph: De tutela Cognitioe in regali, nati et  
4b: <sup>in re competente</sup> Seltenreichius, Augustus Hermannus: An verbi Dei minister  
specialia pro concione aduersus injuriam actione  
conueniri possit?
5. Heptius, Fr. Joannes: De sanitatis conseruatione  
et restoratione per aeris et loci mutationem.
6. Strecken, Conr. Wilhelmus; Facult. juridicae Vercanus.  
... et ... Dissertationem inaug. (Christiani Ben-  
jamins Wachteri) inuitat.

7. Strecker, Cons. Wilhelmus, Facult. juridicae Decanus  
ad ... dissertationem inang. (Joannis Henrici Buerling)  
invitat

8. Strecker, Cons. Wilhelmus, Facult. juridicae Decanus  
... ad ... dissertationem inang. (Benedicti Heinsii)  
invitat.

9. Strecker, Cons. Wilhelmus; Facult. juridicae Decanus  
ad ... dissertationem inang. ... (Joannis Henrici  
Schmittii) invitat

10. Strecker, Cons. Wilhelmus: Dissertationis inang. juridicae distinctio  
diversa datis quidem veritate, et maximam partem  
fundata ac equestris, praesi tamen in Francia  
orientali firmata.

11<sup>9. ab</sup> Strecker, Cons. Wilhelmus: De exemptione bonorum  
ordini equestris immutato collectabilium illicita.  
25. Sept. 1736 - 1752.

12. Strecker, Cons. W. Wilhelm: De patre contra fratrem testificari  
coactis.

13. Strecker, Cons. W. Wilhelm: De perjurii poena.

14. Strecker, Cons. W. Wilhelm: De inutilibus clausulis  
notariorum contractibus adjectis.

15. Strecker, Cons. W. Wilhelm: De interpretatione provin-  
tatis quoad successionem in bonis equestribus  
regum obnoxii respectu collateralium et descenden-  
tium occasione recessus in familia Dr. Baronum de  
Marshalla iurati.

16. Strecker, Cons. W. Wilhelm: De voluntate civili, in finis  
facti.

17. Strut, Dr. Philippus, Facult. juris Decanus: ad  
dissertationem in ang. (Johann Carol. Kelschmanni)  
iurata

18. Strut, Dr. Philippus: Facult. juris Decanus:  
ad ... dissertationem in ang. (Hans Christian Beckstedt iurata).







VIRI  
SACRAE REI MAIEST. PALAT.  
ET ELECT. SAAX.  
ACADEMIE ET CONSISTORIO  
EPI. ORAL. GENSI.  
BR. AESSID.  
FRANC. ELL. ARIO.  
VICE-CANCELLARIO  
CONSILIARIO  
ASSESSORIBUS  
DOMINIS SVB GRADIBUS

P  
SA  
C  
V  
I



**VIRIS**

*PERILLVSTRI***VS, ILLVSTRI***VS, GENEROSISSIMIS,*  
*SVMME REVERENDIS, EXCELLENTISSIMIS,*  
*PRAENOBILISSIMIS,*

**SACRAE REG. MAIEST. POLON.  
ET ELECT. SAX.**

**IN**

**REGIMINE ET CONSISTORIO  
EPISCOPALI CIZENSI,**

*SPLENDIDISSIMIS GRAVISSIMIS  
DOMINIS,*

**PRAESIDI,  
CANCELLARIO,  
VICE-CANCELLARIO,  
CONSILIARIIS**

**ET**

**ASSESSORIBVS,  
DOMINIS SVIS GRATIOSISSIMIS,**

EXIGVAS HASCE STUDIORVM IVRIDICORVM  
PRIMITIAS,

IN DEVOTISSIMAE VENERATIONIS SYM-  
BOLVM,

CVM VOTO

PERPETVAE PROSPERITATIS

D. D. D.

TANTORVM NOMINVM

*Cultor humillimus*

CHRISTIAN. BENIAMIN WACHTER,  
Cizenfis.



2. D. B. V.

DISSERTATIO INAUGVRALIS IVRIDICA,

DE

NON ENTE CIVILI,  
INFAMIA FACTI.

§. I.

**E**Ntis vox non una ratione sumitur. Quidam enim in latiori sensu eam accipiunt, ut etiam *ens rationis*, itemque *ens in potentia* eadem denotetur. Aliis in sensu strictiori ens vocatur, quod revera ipsoque actu existit. PLATONEM subinde per ens ipsum Deum, tanquam ens primum & supremum, adeoque *κατ' ἴκον* ens appellandum, intellexisse, jamdudum viris doctis observatum est. Immo & ipse ARISTOTELES per *ens*, quatenus *ens*, de quo in metaphy-

A 3

physicis agit, ens primum, seu substantiam primam, hoc est, ipsum summum Numen significavit.

§. II.

Entis synonymum est res, si hoc vocabulum philosophice & notione latiori, qua & rei modum sub se comprehendit, sumatur. E contrario in jure civili res contradistinguitur personæ & actioni. Et hoc sensu res sunt vel alicujus vel nullius, sacræ, sanctæ, religiosæ, corporales & incorporales. §. fin. *J. de jur. nat. gent. & civ. tit. J. & D. de rer. div. tit. J. de reb. corp. & incorp.* Nonnunquam tamen sub nomine rei etiam homines continentur. *l. 32. §. 2. de leg. 2. l. 1. §. 1. D. de rer. divis.*

§. III.

Ens est vel *naturale* vel *morale* sive *civile*. Illud est, quod naturaliter existit v. c. homo, animal: hoc vero quod civiliter existit, ut Prætor, consul, jus. Sunt autem entia hæc moralia late sic dicta, quæ civilia quoque continent, uti censet LYNCKERVS in *anal. ad STRUVII Synt. jur. civ. libr. 1. tit. 1. thes. 17. junct. thes. 14. & 39.* ad analogiam naturalium, itidem vel substantiæ morales, quæ per se existere, nec in alio tanquam subjecto esse concipiuntur; vel accidentia moralia, quæ per se non subsistere, sed esse suum in alio, seu subjecto, habere censentur. Sic in classem substantiarum civilium referuntur personæ & res, quatenus homo & res in statu civili spectantur. Accidentibus moralibus adscribuntur moralium personarum tituli,

tuli, qui hominibus tribui solent. v. g. Serenissimi, illustrissimi &c. PVENDORF. *de jur. nat. & gent. libr. 1. c. 1. §. 18.* item omnia jura, facultates & qualitates morales, quæ personis vel rebus competunt.

§. IV.

Entia moralia sive civilia variis insigniuntur nominibus. Sic juris interpretes ens civile non raro vocant *analogicum* v. g. possessio dividitur in *naturalem*, quæ est rerum corporalium, & in *analogicam*, quæ est incorporalium STRUV. *jurispr. romano-germ. libr. 2. tit. 36. §. 4.* II. Ens civile Jcti sæpe vocant *intellectu juris tale*. Inter omnes enim constat, res dici immobiles vel naturaliter, ut sunt res soli, v. c. fundus, vel juris intellectu, ut sunt mobilia certo in loco perpetui usus gratia collocata *l. 13. §. f. l. 14. 17. §. 7. de A. E.* III. Ens civile non nunquam vocatur *quasi ens*, siquidem furiosus est vel *vere* vel *quasi* talis, *pr. F. de inoff. testam.* IV. Ens civile etiam *ficti* nomine venire, nullum est dubium. Ita absentia dividitur in *veram* & *fictam* *l. 124. §. 1. D. de Reg. jur.* V. Civiliter tale nuncupatur *quodammodo* tale v. c. traditio civilis & analogica dicitur *quodammodo* traditio *l. 6. D. de donat.* VI. Ens in sensu civili tale etiam vocari *imaginarium* liquet. Ita venditio dicitur *imaginaria* *l. 16. D. de R. F. l. 55. D. de contr. emt. junct. l. 66. D. de jur. dot.*

§. V.

Enti opponitur *non ens*, quod vere non existit. Sicuti vero ens est vel naturale vel morale sive civile: ita vi oppositionis non ens est etiam vel *naturale* vel *morale*

*vale* sive *civile*. Non entis naturalis exemplum est bestia ratione prædita: partus vero nondum editus proprie non est homo, adeoque non ens civile *l. 9. §. 1. D. ad l. Falcid. negaturque esse in rebus humanis l. 7. D. de ventr. in possess. mitt. l. 24. §. 4. D. de fideicomm. libert. & in rerum natura l. 24. pr. de leg. 1. §. 1. J. de legat.* Opinio hæc Ictorum veterum originem suam debet philosophis Stoicis, quippe qui docebant, animam hominis demum a partu advenire. TERTULLIAN. *de anima c. 25.* Christianis vero fœtus in utero animatus utique homo est, & abigens fœtum animatum poenam mortis luit per *Constit. crim. CAROLI V. Romanorum Imperatoris gloriosæ memoriæ art. 133. & Ordin. crim. Bamberg. art. 158.* Quid quod? jure civili, venter seu homo nasciturus, in commodis ejus habetur pro persona civiliter, & quoad effectum juris *l. 7. D. de stat. hom. l. 26. D. eod. si scilicet postea vivus fuerit editus l. 129. D. de verb. signif. l. 1. §. 5. D. ad Scr. Tertull.* Vid. JOANN. CHRISTOPH. HARTUNG. *metaphys. jurid. cap. 2. §. 31. sq.* Præterea omnia, quæ lege fieri prohibentur, etsi facta fuerint, pro infectis, nullis, si ve non entibus civilibus habentur, & si quid ex illis secutum, illud quoque nullum sive non ens esse, Imperatores THEODOSIVS & VALENTINVS sanxerunt. *l. 5. C. de legib.*

## §. VI.

Non ens est vel *negativum* vel *privativum*. Negativum denotat absentiam attributi in subjecto, in quo neque solet, neque potest esse. Sic cœcitas intuitu homi-



hominis cœci est privatio, intuitu lapidis est negatio. E contrario privativum significat absentiam attributi in subjecto, in quo esse solet & potest. Sic absentiam Jcti dividunt in *negativam*, quando quis abest a loco, in quo nec alias commoratur, & in *privativam*, quando quis a loco domicilii abest. Item infamia intuitu civis, nihil aliud est, quam privatio existimationis & inde dependentium jurium. STRUV. *jurispr. romano germ. for. libr. 1. tit. 13. §. 4.* Ad non entia etiam a plurimis referri solent entia rationis. Ad iis HARTVNGIVM. *l. c. §. 38. sq.*

§. VII.

Ex doctrina de non ente notissimus ille canon: *non entis nulla esse predicata*, scilicet quæ accidentia aut contingentia sunt, & quidem intrinsece denominantia, immo nec extrinsece a sensibus externis. Sed addenda, quæ copiose de hacce regula disputant DAN. STAHLIVS *regular. metaphys. part. I. disputat. I. reg. IV. p. 18. seqq. item p. 346. seqq.* & JO. ADAM. SCHERZERVUS *manual. philos. part. III. reg. IV. p. 7. seqq.* quæ hic excutere nostri non patitur instituti ratio. Ita cum posthumus, seu foetus in utero, ex mente veterum Jctorum, non sit homo, sed maternorum viscerum pars *l. 1. §. 1. ff. de ventr. inspici.* sequitur, quod non possit *iniquitas* sive ingrati animi accusari. Recte proinde Imperatori crudele videtur, eum, qui non sentit, ingratum existimari *l. 33. C. de inoff. test. Nov. 115. c. 3.*

B

§. VIII.

§. VIII.

Huic canoni jungitur a nonnullis alter: *non entis nullam esse operationem*, qui fere convenit cum priori, nisi quod ille de accidentibus seu prædicatis, hic de effectibus loquatur. Ratio canonis hujus est manifesta, agere enim præsupponit esse, & effectus produci- tur a suis causis: quodsi igitur causa est nihil seu non ens, nec effectum producere potest, e. g. matrimonium contra leges civiles contractum est non ens, ergo il- lius quoque nulla operatio, nec ex eo vir, nec uxor, nec pater, nec filiusfamilias, nec dos, nec patria potestas, intelligitur §. 12. *F. de nupt.* HARTVNG. l. c. *Reg. V. & VI.* & hos canones etiam ad infamiam facti applicari posse, deinceps luculente patebit.

§. IX.

Infamiae vox composita est ex particula *in* & *fa- ma*: & hæc particula aliquando vim habet negativæ ut intestatus MENOCH. *de præsumpt. libr. 4. quest. 1. n. 3.* nonnumquam privativæ e. g. infamis, haud raro etiam intendit significationem v. c. infractus i. c. maxime fra- ctus JOANN. STRAVCH. *Lexic. particul. jur. b. v. n. 13.* §. 21. ALBERT. *de PERGAMO tractat. de preposit. b. voc.* Inter plura infamiae synonyma, quæ vulgo adfer- runtur, & enarrat PETRVS MVLLERVS *in addit. ad STRVVII Syntagm. jur. civ. exerc. 7. §. 15.* quidem re- ferri solet *ignominia*; sed vir acutissimus JO. JAC. WIS- SENBACHIVS *Exercit. ad Pand. disp. XI. §. 12.* & HO- TOMANNVS *comment. verb. jur. in voc. infamia* recte ob- servant

servant, omnem infamiam esse ignominiam, nequam vero omnem ignominiam esse infamiam, cum notæ censorum ignominiam attulerint, non infamiam. Græcis infamia κακή φήμη, κακοδοξία, ἀδίκη &c. dicitur. MEJER. colleg. jur. Argent. libr. 3. tit. 2.

§. X.

Existimatio, quæ aliquibus Synonymum famæ dicitur, est valor personarum, non fœcus ac pretium est valor rerum. Sicuti vero de rebus pretium vel generatim prædicatur, vel ejus etiam certa initur proportio: ita & in personis existimatio vel simplex, vel intensiva est. Illa militem gregarium & belli ducem non distinguit, uterque enim civis æque bonus esse potest, si a delictis societatem humanam lædentibus sibi caverit, & in munere sibi demandato alterius commodis consuluerit: hæc e contrario, dum proportionem æstimationis inicit, discrimen constituit inter nobiles & plebejos, egregios & vilioris conditionis homines. Quodsi ergo vel infimæ fortis homini ab egregio injuria inferatur, hoc ægre fert & ait: Ich bin so ein ehrlicher Mann als er, ob er gleich vornehmer ist, als ich, sicut assarius & teruntius perinde monetæ probæ sunt ac nummus aureus GEORG. BEYER. Posit. ad Pand. libr. 3. tit. 2.

§. XI.

Infamia dispesci solet in infamiam juris & facti. Infamia juris est, quæ auctoritate legis irrogatur ob delictum atrocius, sive tale, quod communem societatem

tatem directe lædit, & propter quod iudex hodie ex officio inquisitionem instituit. JAC. FRID. LVDOVICI *doctr. Pandect. libr. 3. tit. 2. §. 3.* Hæc infamia iterum duplici ratione contrahitur, scilicet vel *quibus*, quis a lege notatur, vel *impiorum*, per iudicis sententiam.

§. XII.

Immediate aliquis a lege notatur, quando factum ita aperte injustum est, ut nulla ratione defendi queat. Ad hanc infamiam classẽm pertinent 1) in scenam reapse luci causa prodeuntes *l. 1. l. 2. §. fin. D. de his qui not. infam.* 2) Lenones & lenæ *l. 43. §. 7. & seq. D. de rit. nupt.* 3) Vidua intra annum luctum nubens, & qui eam matrimonio sibi jungit, nec non pater, qui filiam in potestate existentem, post mortem generi sciens in matrimonium collocat *l. 1. l. 8. l. 11. §. ult. l. 12. D. de his qui not. infam.* 4) Bina sponsalia binasve nuptias contrahentes, qui posteriores quoque adulterii rei sunt *l. 18. C. de adult.* 5) Major, qui juratam transactionem negligit *l. 41. C. de transact.* 6) Fœneratores manifesti & improbi *l. 20. C. ex quib. caus. infam. irrog.* 7) in adulterio deprehensi *l. 43. §. 12. D. de rit. nupt.* 8) Causarum patroni de quota litis pacificentes & in convicia prorumpentes *l. 5. l. 6. §. 1. C. de postul. l. 2. C. de pœn. jud.* 9) Mulier libera, quæ corpore quæstum facit *l. 24. D. de his qui not. inf.* 10) Tutores & curatores, qui rationibus nondum redditis, cum pupillis nuptias ineunt, vel eas filiis suis despondent *l. 7. C. de interd. matrim. int. pupill. & tut. Conf.*

N I C.

NIC. HIER. GVDNLINGII *instituta* libr. 3. tit. 2. §. 12. *seqq.*

§. XIII.

Interveniente iudicis sententia, infamia infligitur in omnibus reliquis delictis dolosis, quæ ita manifesta non sunt l. 7. *De de publ. jud.* l. 10. *C. ex quib. caus. infam.* & in quatuor his contractibus, tutela, deposito, societate, mandato, si in illis de singulari fide rupta agitur directa actione §. 2. *F. de pæn. rem. litig.* unico casu in mandato excepto, si quis pro altero fidejussit & solvit, debitor vero illum indemnem servare renuit l. 6. §. 5. *D. de his qui not. inf.* Super hisce contractibus vero transigere, & sic infamiam secus ac in delictis evitare licet l. 7. *D. c. t.* Culpam quoque latam in istis contractibus pro dolo haberi, volunt vir excellentiss. JO. GOTTL. HEINECCIUS *in elem. Pand. libr. 3. tit. 2. §. 407.* & JO. VOETIVS *comm. ad Pand. eod. tit. §. 2.* qui provocant ad §. 6. *F. l. 7. §. 1. D. de susp. tut. l. 42. l. 226. D. de verb. signif. l. 1. §. 5. D. de Obl. & act.* ac æque turpe, doloque proximum esse, censent, amici spem supina negligentia destituere, quam perfidiâ. Negantem contra sententiam tuentur FREHERVS *de existimat. libr. 2. cap. 1. n. 3. seqq.* LAVTERBACH. *Excerc. 10. conclus. 7. aliique.*

§. XIV.

Infamia facti vulgo appellari solet, ubi lex quidem factum illicitum non notat, existimatio tamen apud graves & honestos viros læditur, quando scilicet

B 3

delictum

delictum securitatem communem non directo lædit, nec iudex propterea mox specialem inquisitionem instituit. Nonnulli ut CHRISTIAN. THOMASIVS *differt. de censura morum c. 2. §. 21. sqq.* & NICOL. HIERON. GUNDLINGIVS *Gundlingian. part. XVI. Obs. 1.* quæ de Censoribus Romanis ex instituto agit, putant, Censores Romanorum mores intemperantes civium ignominia, sive facti infamia, notasse. Huc pertinent delicta, quæ leviora hominibus videntur: & referuntur in hunc censum prodigi, decoctores, filii immorigeri & exhæredati *l. 13. C. ex quib. caus. infam. ebriosi, cum cauponæ ancilla olim concumbentes l. 25. & l. 29. C. ad L. Ful. de adult. conjuges, liberi & parentes sibi aliquid subtrahentes l. 2. D. de obseq. parent. & ii, qui in contractibus, ubi singularis fides non est electa, alterum decipiunt. LVDOVICI doctr. Pandect. cit. tit. §. 7.*

§. XV.

BALDVS infamiam facti triplicem constituit: aliam, quæ ortum habet a vulgo & incerto auctore: aliam, quæ a iudice aut patre, aut viro quopiam honesto, per increpationem ignominiosam inferitur: tertiam, quæ oritur ex sectæ diversitate, puta propter hæresin. Sed HAHNIUS ad WESENBECIUM *ad tit. de his qui not. inf. n. 2.* & LAVTERBACHIVS *colleg. theoretico-pract. eod. tit. §. 26.* multa in hac divisione reprehendunt. Monent enim, primam, quæ originem & natales suos vulgo & incerto auctori debet, nullam esse infamiam, quia non constat de turpi facto. Quod ad

ad secundam attinet, distinguunt inter increpationem, quæ fit ex justa causa, & quæ justa causa destituitur, illam ajunt, esse veram facti infamiam, hanc vero non. Ultimam denique, quæ ex hæresi oritur, esse infamiam juris, non facti, probant per *Authent. Credentes & Authent. Gazaræos C. de hæret.*

§. XVI.

Variæ etiam infamiæ utriusque differentia adferri solent; scilicet 1) quod infamia juris a lege propter unicum factum v. c. furtum irrogetur: sed infamia facti plures actus requirat: 2) ratione probationis, quod infamia juris per duos testes probetur: e contrario ad probandam facti infamiam plures requirantur, qui dicant, se a pluribus ac majore parte viciniæ, & diverso tempore ac loco, nec non sæpius, audivisse, homuncionem apud honestos viros male audire. Denique 3) discrimen in effectu quærunt. Infamiam enim juris ajunt, a dignitatibus susceptis infamiam removere, & testimonio ejus omnem fidem detrahere: infamiam autem facti arcere a dignitatibus suscipiendis, & a testimonio non plane repellere, sed fidem testimonii solum imminuere. Et addunt, infamiam juris esse perpetuam, infamiam vero facti temporariam, & expirare, simulac homo ad frugem redeat. JAC. FRID. LVDOVICI *us. dist. jur. libr. 3. tit. 2. dist. 1.*

§. XVII.

Nonnullos tamen effectus tam juris quam facti  
in-

infamiae communes admittunt vulgo, juris interpretes, scilicet, quod repellat utraque infamia a querela inofficiosi testamenti *l. 11. l. 19. C. de inoffic. testam.* & quod inducat querelam inofficiosi, ac hæredes scriptos a successione removeat *l. 27. C. eod.* CORNEL. VAN ECK *Principior. jur. libr. 3. tit. 2. §. 11.* MEIER. *colleg. jur. Ar- gentor. libr. 3. tit. 2. n. 32.*

## §. XVIII.

Equidem vir illustris JO. HENR. BERGERVS *dis- fert. de levis nota mac. §. 2.* fatetur, terminos infamiae juris & facti in jure vix inveniri, nihilominus sibi persuadet, re ipsa nihil in eo notius esse: *turpitudinis* enim vocabulo *in l. 27. C. de inoff. test. & l. 2. C. de dignit.* nihil aliud intelligi, quam *infamiam facti*; ac exempla *in l. 2. D. de obseq. par. l. 25. C. ad L. Jul. de adult. l. 4. C. de spectac.* similibusque ad eandem speciem referenda esse. Urget, infamiam utramque eadem materia constare, utramque oriri ex delicto, eoque cuivis proprio: discretionem in forma esse, formam nimirum infamiae juris notatione legis absolvi, infamiae facti censura hominum cordatiorum. Quia tamen lex utique efficacior est hominum impositione, non diffiteretur BERGERVS, infamiam juris magis eo nomine dignam, quam facti, esse: ex eo autem ad improprietatem infamiae facti, nihil colligi posse, censet. Cumque idem vir illustris negare nequeat, *in l. 27. C. de inoff. test. & l. 10. §. 12. D. de in jus voc.* infamiam ab iis separari, quæ pudorem sugillant, responderet,



det, infamiam juris, ceu extantiozem speciem, in illis intelligi.

§. XIX.

Illustri BERGERO liberalior est Jctus celeberrimus, JO. VOËTIVS *commentar. ad Pandect. libr. 3. tit. 2. §. 3.* utpote qui concedit, infamiam facti improprie vocari infamiam: & §. 4. monet, hanc infamiam private quidem infamem beneficiis, & a commodis variis repellere, sed poenâ proprie dicta non multare; lucra quidem eam subinde subtrahere, damnis vero nequaquam mactare.

§. XX.

Immo non desunt complures Jcti maximæ auctoritatis & singularis eruditionis, qui jam dudum communem divisionem infamiæ in infamiam juris & facti impugnarunt, ac infamiam facti negarunt. Inter veteres eminent HUGO DONELLVS *commentar. jur. civ. libr. 18. c. 6. lit. F.* NIEL. *disp. feud. 2. thes. 6. lit. D.* ANTONIUS MATTHÆI *disp. 8. ad D. de 5. seq. & in fundam. jur. p. 70.* GIPHAN. *dissert. de var. jur. divis. thes. 184. seqq.* ut HVNNIVM & BECHMANNVM taceam. Hi urgent partim, quod infamia facti, quæ dependeat ab æstimatione aliorum, infamia appellari nequeat, partim, quod divisio infamiæ in juris & facti infamiam omni destituatur juris fundamento, & infamia facti juri civili prorsus sit incognita.

C

§. XXI.

## §. XXI.

Ex recentioribus pariter JCtis, quibus e meliori luto finxit præcordia Titan, aliquibus commemorata divisio infamiæ displicuit, qui contra usu fere receptam infamiæ divisionem, & infamiam facti calamum strinxerunt. HENR. BODINVS in academia Fridericiana sive Halensi olim Prof. juris celeberr. *dissert. de jure circa infamiam, ejusque inter Christianos abusu §. 8. seqq.* eam rejicit, & viam munire, ait, ad quasvis improbas censuras, unoquoque festucam in alterius oculo cernente, trabem vero in proprio oculo non animadvertente, uti loquitur Servator noster in *Evangelio MATTHÆI cap. 7. comm. 3. Ubi l. 13. C. ex quib. caus. infam. irrog.* ad quam dissentientes provocare solent, sic explicat, quamvis opinionem liberorum apud bonos aliquo modo gravet, si parentibus displicuerint, tamen jure minime licere, propterea (& ubi præter illam displicentiam nullo infami facto gravari possint) illos pro infamibus habere, ex ratione, quod increpationes parentum liberos non faciant infames, juxta tritum illud: *Es sey einer des wegen nicht unehrllich, wenn ihn etwa sein Vater gescholten, wiewohl es bey braven Leuten rühmllicher sey, wenn einer jeder Zeit den Eltern wohl gefallen.* Miratur quoque idem vir celeberrimus, Doctores juris ex hoc textu præsidium talem filium infamandi accessere: & ait, communi interpretatione hujus legis admittenda fore, ut paucissimi in republica inveniantur, qui non sint infames, eo quod in communi peccandi

ac

ac aberrandi proclivitate, præsertim in incauta juven-  
tute, alios pietate vincere piaculum videatur.

§. XXII.

Confugiunt quidem infamiæ facti architecti quo-  
que *ad l. 2. D. de obseq. par. & patron. præst.*: sed lauda-  
tus jam BODINVS ostendit, in illa hoc contineri,  
si quis parentum patronorumve, aliquem qui  
ipsi reverentiam vel obsequium debet, injuria affece-  
rit, actionem injuriarum non esse instituendam, licet  
læsus tantum desideret, ut per procuratorem ipsi re-  
paratio honoris sive satisfactio præstetur; ex eo,  
quod, quamvis ita condemnandus ex *l. 7. D. de injur.*  
non fiat simpliciter infamis, tamen ita condemnatus  
non effugiat infamiæ notam. Scilicet quamvis ex-  
trinseco honori illorum, quibus in republica reveren-  
tia ac obsequium debetur, in eo consultum sit, ut, si  
in causis famosis, procuratorem ceu dominum litis  
substituerint, in quem sententia condemnatoria fera-  
tur, infamiæ notam non incurrant: tamen contra  
liberos & liberos in causa famosa per procuratorem  
stare, & sic, quamvis sub schemate alterius personæ,  
ad satisfactionem læsis præstandam condemnari, sine  
aliqua infamiæ nota non contingere. Ex quibus sin-  
gularissimis circumstantiis judicii per se famosi, ubi ta-  
men singulari stratagemate honori consuli possit,  
quamvis fama nihilominus quadantenus lædatur, si  
condemnatio parenti vel patrono contingat, genera-  
lem conceptum infamiæ facti formare, & hanc in  
opinionem hominum collocare, *ἀποκ.* judicat. Admit-  
tit

tit quidem, dari actiones, per quas pudor ac decorum offenditur, ut præsumatur, hominem, qui talia suscipit, necessaria prudentia vivendi adhuc destitui, und daß derjenige, so dergleichen verübet, Bruder liederlich sey, ex iis tamen ignominiam non contrahi expresse in *l. 20. D. de his qui not. infam.* decisum esse, iudicet. Apprime etiam ei, allatam distinctionem inter gravatum pudorem & infamiam adhuc confirmare, videtur *l. 25. C. ad leg. Jul. de adulter.* in qua Imperatores DIOCLETIANVS & MAXIMINVS expresse rescripserunt, ejus, qui libidinis intemperie exartus ancillam compresserat, liberæ vero fœminæ stuprum non intulerat, opinionem quidem gravatam, non vero infamiam ei inustam esse.

## §. XXIII.

Infamiam facti, sensu vulgari acceptam, quoque confutat Lipsiensis academiæ olim decus singulare, & JCtus pariter ac Philosophus clarissimus, GOTTLIEB GERHARD TITIVS *jur. priv. Romano-Germ. libr. 3. cap. 3. §. 11. seqq. & observat. ratiocinant. in compend. jur. Lauterbach. obs. 73.* Hic vir acutissimus confidenter contendit, omnem effectum hujus infamiæ esse, quod homines probi ejusmodi infames avertentur, ac cum iis caute & circumspecte agant: quod autem his infamibus dignitas negetur, coeterique effectus, quos LAVTERBACHIVS recenset, hanc infamiam sequantur, id penitus falsum existimat; cum hæc aperte sibi repugnent: *infamiam facti sine imperii civilis notatione existere, & tamen habere effectus, qui ab imperio civili dependent*

dent. Insuper probatum it, turpitudinis vocem in l. 2. C. de dignit. § l. 27. C. de inofficis. test. non distinguere sed explicare, & pro confirmanda sua sententia l. 56. D. pro soc. l. 1. 2. C. rer. amot. excitat. adeoque has leges, ut & l. 12. C. de dignit. ac l. 3. D. de testibus de infamia juris loqui, certe bonis rationibus, alium sensum iis tribui non posse, colligit. Quid quod? infamiam facti cum infamia juris nihil habere commune, ut potius infamia facti laborantes existimatione intensiva mactari, & magnis dignitatibus corruscare videamus, cum TITIO observat GEORG. BEYERVS, *Post. ad Pandect. libr. 3. tit. 2.* Quod speciatim ad l. 27. C. de inoff. testam. attinet, MERLINVS de legitim. libr. 8. tit. 2. quest. 13. & JAC. GOTHOFREDVS comment. ad l. 1. Cod. Theodos. de inoffic. testam. demonstratum dederunt, TRIBONIANVM, vel quemcunque alium, qui dirigendæ huic codicis parti operam navavit, hic quoque antiquum obtinuisse hominem, & pro duabus, iisque diversis CONSTANTINI legibus, unam nobis, sed interpolatam ac variis laciniis onustam, dedisse.

§. XXIV.

Infamiam porro omnem, maxime juris, quatenus viventibus imponitur, absurdum esse pœnæ genus, censet TITIVS in *Observat. ratiocinant. in compend. jur. Lauterb. obs. 82.* & *Observat. in PVFENDORFIUM de off. hom. § civ. obs. 663.* eo quod delinquentes non emendet, quæ emendatio legitimus omnium pœnarum viventibus imponendarum est scopus, sed ad majora potius facinora patranda disponat. GEORG BEYERVS

RVS *l. c.* ait hodie infamiae juris exiguum esse usum, & judicia civilia non amplius esse famosa, nisi, ubi id expresse receptum, immo cuivis iudici, in famosis etiam delictis hodie potestatem famam reservandi competere, quin etiamsi expresse non reservetur, tacite tamen pro reservata haberi: cum poenae juris Romani iudicibus nostris non necessario sint praescriptae, sed judicia haestenus sint arbitraria SCHILTER *prax. jur. Rom. in for. Germ. exerc. 10. thes. 32. seqq.* Addit insuper BEYERVS, in scenam prodeuntes, intra annum luctus nubentes, tutores pupillas suas ducentes, milites praedia conducentes, ex communi fere Jctorum opinione, hodie infamiam juris non incurrere. Infames etiam hodie non esse, ob dolum iudicio tutelae, mandati, depositi aut pro socio condemnatos, GROENWEGEN *ad §. 2. J. de poen. tem. litig.* SIMOM VON LEWEN *cons. for. part. 2. libr. 1. cap. 4. num. 9.* statuunt. Accedit, quod Germanorum mores quam maxime abhorreant ab infamia inurenda, quorum parocmia est: Man solle eher suchen zehen ehrlich als einen unehrlich zu machen. SCHILTER. *l. c. thes. 35.* Opifices etiam conservationem famae collegarum boerho peregre abeunti commendare solent: Grüsse mir Meister und Gefellen, so weit das Handwerk redlich ist. Istts aber nicht redlich, so nimm Geld und Geldes werth, und hilffs redlich machen. Istts aber nicht redlich zu machen, so nimm dein Bündel auf den Nacken, und deinen Degen an deine Seiten, und laß Schelme und Diebe sitzen. ADRIAN. BEIER. *in Boerho cap. 4. n. 229.*

§. XXV.

Contrariam vero sententiam: pœnam scilicet infamiæ moribus Germanorum non repugnare, & pœnam infamiæ, quam jura Romana in causis civilibus, & imprimis ex contractu mandati, depositi, tutelæ & societatis descendentibus, improbis infligunt, apud Germanos usu receptam esse, rationibus & præjudiciis nonnullis tueri & confirmare satagit Ictus magni nominis, AVGVSTINVS LEYSERVS *Meditat. ad Pandect. Vol. 1. spec. 52. §. 1. p. 564. sqq.* Et quidem in hujus opinionis testimonium, non solum *Speculum Saxonicum libr. 1. art. 40.* ac jus statutarium *Hamburgense Part. 2. tit. 18. art. 4.* citat; sed etiam pœnas Germanorum veterum Romanis ignominiosiores fuisse, vel ex sola illa canum, item sellarum portatione, de qua JO. WERNER. GERICKEN. in *Schottelio illustr. S. cont. cap. 4.* DÖPLERVS in *Schau-Platz der Leibes- und Lebens-Straffen Part. 1. cap. 60.* & KLUVERVS in *Elect. de jur. canum* fuisse agunt, comprobatur it. Ac infamiam veterum Germanorum duplicem fuisse, opinantur nonnulli, alteram majorem, alteram minorem. Majorem vocant illorum infamiam, qui contra virtutes Germanorum præcipuas, fortitudinem nempe bellicam, fidem, castitatem, & si ea laus in homines à veri Numinis cultu alienos cadit, pietatem, insigne aliquod facinus admiserant, & pœna atrocior adfecti, famæ atque existimationis jacturam plane fecisse, videbantur. Sed cum præterea & quædam vitæ genera, quamvis in se nihil flagitii haberent, virtutibus tamen Germanorum jam

com-

commemoratis, parum convenire viderentur, & ipsi Germani parentum dedecora & liberis inhærere crederent; factum exinde esse, inquit, ut & alii homines, qui se certo vitæ generi manciperant, vel vulgo concepti fuerant, parum integræ famæ haberentur. Et horum infamiam minorem vocant. Vid. JO. GOTTL. HEINECC. tom. 1. *Element. Jur. German. libr. 1. tit. 17. §. 392. sq.* & PHIL. LVD. HVTH. in *Spec. Jur. Germ. de bis qui not. infam. §. 16. § seq.*

§. XXVI.

Quodsi ergo infamiæ juris tam rarus, & exiguus in foris hodie usus est: nemo temere, opinor, inficias ibit, nullum plane infamiæ facti, utpote quæ doctorum commentis accensenda est, uti JCti supra laudati evicerunt, esse usum. Non entis enim nullam dari operationem, inter JCtos pariter ac Philosophos constat: adeoque sua sponte sequitur, effectus cunctos, quos nonnulli infamiæ facti perperam tribuunt, corruiere & cessare.

S. D. G.










ULB Halle  
005 355 699

3







B.I.G.

Farbkarte #13

1736, 16  
19  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
20  
21  
22  
23  
24  
25  
26  
27  
28  
29  
30  
31  
32  
33  
34  
35  
36  
37  
38  
39  
40  
41  
42  
43  
44  
45  
46  
47  
48  
49  
50  
51  
52  
53  
54  
55  
56  
57  
58  
59  
60  
61  
62  
63  
64  
65  
66  
67  
68  
69  
70  
71  
72  
73  
74  
75  
76  
77  
78  
79  
80  
81  
82  
83  
84  
85  
86  
87  
88  
89  
90  
91  
92  
93  
94  
95  
96  
97  
98  
99  
100  
101  
102  
103  
104  
105  
106  
107  
108  
109  
110  
111  
112  
113  
114  
115  
116  
117  
118  
119  
120  
121  
122  
123  
124  
125  
126  
127  
128  
129  
130  
131  
132  
133  
134  
135  
136  
137  
138  
139  
140  
141  
142  
143  
144  
145  
146  
147  
148  
149  
150  
151  
152  
153  
154  
155  
156  
157  
158  
159  
160  
161  
162  
163  
164  
165  
166  
167  
168  
169  
170  
171  
172  
173  
174  
175  
176  
177  
178  
179  
180  
181  
182  
183  
184  
185  
186  
187  
188  
189  
190  
191  
192  
193  
194  
195  
196  
197  
198  
199  
200  
201  
202  
203  
204  
205  
206  
207  
208  
209  
210  
211  
212  
213  
214  
215  
216  
217  
218  
219  
220  
221  
222  
223  
224  
225  
226  
227  
228  
229  
230  
231  
232  
233  
234  
235  
236  
237  
238  
239  
240  
241  
242  
243  
244  
245  
246  
247  
248  
249  
250  
251  
252  
253  
254  
255  
256  
257  
258  
259  
260  
261  
262  
263  
264  
265  
266  
267  
268  
269  
270  
271  
272  
273  
274  
275  
276  
277  
278  
279  
280  
281  
282  
283  
284  
285  
286  
287  
288  
289  
290  
291  
292  
293  
294  
295  
296  
297  
298  
299  
300  
301  
302  
303  
304  
305  
306  
307  
308  
309  
310  
311  
312  
313  
314  
315  
316  
317  
318  
319  
320  
321  
322  
323  
324  
325  
326  
327  
328  
329  
330  
331  
332  
333  
334  
335  
336  
337  
338  
339  
340  
341  
342  
343  
344  
345  
346  
347  
348  
349  
350  
351  
352  
353  
354  
355  
356  
357  
358  
359  
360  
361  
362  
363  
364  
365  
366  
367  
368  
369  
370  
371  
372  
373  
374  
375  
376  
377  
378  
379  
380  
381  
382  
383  
384  
385  
386  
387  
388  
389  
390  
391  
392  
393  
394  
395  
396  
397  
398  
399  
400  
401  
402  
403  
404  
405  
406  
407  
408  
409  
410  
411  
412  
413  
414  
415  
416  
417  
418  
419  
420  
421  
422  
423  
424  
425  
426  
427  
428  
429  
430  
431  
432  
433  
434  
435  
436  
437  
438  
439  
440  
441  
442  
443  
444  
445  
446  
447  
448  
449  
450  
451  
452  
453  
454  
455  
456  
457  
458  
459  
460  
461  
462  
463  
464  
465  
466  
467  
468  
469  
470  
471  
472  
473  
474  
475  
476  
477  
478  
479  
480  
481  
482  
483  
484  
485  
486  
487  
488  
489  
490  
491  
492  
493  
494  
495  
496  
497  
498  
499  
500  
501  
502  
503  
504  
505  
506  
507  
508  
509  
510  
511  
512  
513  
514  
515  
516  
517  
518  
519  
520  
521  
522  
523  
524  
525  
526  
527  
528  
529  
530  
531  
532  
533  
534  
535  
536  
537  
538  
539  
540  
541  
542  
543  
544  
545  
546  
547  
548  
549  
550  
551  
552  
553  
554  
555  
556  
557  
558  
559  
560  
561  
562  
563  
564  
565  
566  
567  
568  
569  
570  
571  
572  
573  
574  
575  
576  
577  
578  
579  
580  
581  
582  
583  
584  
585  
586  
587  
588  
589  
590  
591  
592  
593  
594  
595  
596  
597  
598  
599  
600  
601  
602  
603  
604  
605  
606  
607  
608  
609  
610  
611  
612  
613  
614  
615  
616  
617  
618  
619  
620  
621  
622  
623  
624  
625  
626  
627  
628  
629  
630  
631  
632  
633  
634  
635  
636  
637  
638  
639  
640  
641  
642  
643  
644  
645  
646  
647  
648  
649  
650  
651  
652  
653  
654  
655  
656  
657  
658  
659  
660  
661  
662  
663  
664  
665  
666  
667  
668  
669  
670  
671  
672  
673  
674  
675  
676  
677  
678  
679  
680  
681  
682  
683  
684  
685  
686  
687  
688  
689  
690  
691  
692  
693  
694  
695  
696  
697  
698  
699  
700  
701  
702  
703  
704  
705  
706  
707  
708  
709  
710  
711  
712  
713  
714  
715  
716  
717  
718  
719  
720  
721  
722  
723  
724  
725  
726  
727  
728  
729  
730  
731  
732  
733  
734  
735  
736  
737  
738  
739  
740  
741  
742  
743  
744  
745  
746  
747  
748  
749  
750  
751  
752  
753  
754  
755  
756  
757  
758  
759  
760  
761  
762  
763  
764  
765  
766  
767  
768  
769  
770  
771  
772  
773  
774  
775  
776  
777  
778  
779  
780  
781  
782  
783  
784  
785  
786  
787  
788  
789  
790  
791  
792  
793  
794  
795  
796  
797  
798  
799  
800  
801  
802  
803  
804  
805  
806  
807  
808  
809  
810  
811  
812  
813  
814  
815  
816  
817  
818  
819  
820  
821  
822  
823  
824  
825  
826  
827  
828  
829  
830  
831  
832  
833  
834  
835  
836  
837  
838  
839  
840  
841  
842  
843  
844  
845  
846  
847  
848  
849  
850  
851  
852  
853  
854  
855  
856  
857  
858  
859  
860  
861  
862  
863  
864  
865  
866  
867  
868  
869  
870  
871  
872  
873  
874  
875  
876  
877  
878  
879  
880  
881  
882  
883  
884  
885  
886  
887  
888  
889  
890  
891  
892  
893  
894  
895  
896  
897  
898  
899  
900  
901  
902  
903  
904  
905  
906  
907  
908  
909  
910  
911  
912  
913  
914  
915  
916  
917  
918  
919  
920  
921  
922  
923  
924  
925  
926  
927  
928  
929  
930  
931  
932  
933  
934  
935  
936  
937  
938  
939  
940  
941  
942  
943  
944  
945  
946  
947  
948  
949  
950  
951  
952  
953  
954  
955  
956  
957  
958  
959  
960  
961  
962  
963  
964  
965  
966  
967  
968  
969  
970  
971  
972  
973  
974  
975  
976  
977  
978  
979  
980  
981  
982  
983  
984  
985  
986  
987  
988  
989  
990  
991  
992  
993  
994  
995  
996  
997  
998  
999  
1000

DISSERTATIO INAUGVRALIS IVRIDICA  
DE  
NON ENTE CIVILI  
INFAMIA FACTI,

QVAM,  
ALMAE ET PERANTIQVAE VNIVERSITATIS  
HIERANAE

RECTORE MAGNIFICO,

PRÆNOBILI, CONSVLTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO VIRO,

DN. D. HERMAN. PAVLO IVCH,

SACRI PALATII CAESAREI COMITE, FACVLTATIS MEDICAE SENIORE, PA-  
THOL. ATQVE PRAX. PROF. PVBL. ET ASSESSORE PRIMARIO, SERENISS.  
SAX. DVC. VINARIENSIS, ISENACENSIS ET GOTHANI CONSIL.  
AVLICO ET ARCHIATRO, N. N. ACAD. CAESAR.  
NAT. CVRIOS. COLLEGA,

CONSENSV ILLVSTRIS JCTORVM ORDINIS,

PRÆSIDE

FACVLTATIS IVRIDICAE DECANO,

DN. CONR. WILHELMO *Strecker*,

JCTO,

PRAELAVDATAE FACVLTATIS ET IVDICII ELECT. PROVINCIAL. ASSESS.  
PROF. COD. PVBL. ORDINAR. CIVIT. STND. PRIMAR.  
ET CONSULE,

PRO LICENTIA

SVPREMOS IN VTROQVE IURE HONORES  
RITE CAPÈSSENDI,

DIE VI. JVNII ANNO M DCC XXXVI.

LOCO AC TEMPORE CONSUVETO,  
PVBLICE DEFENDET

AVCTOR RESPONDENS

CHRISTIANVS BENIAMIN WACHTERVS,  
CIZ. MISN.

ERFORDIÆ, Typis HERINGII, Acad. Typogr.